AD QVODLIBETARIAM QVÆSTIO MEDICA,

MATVTINIS EXCVTIENDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM die Iouis xxiij. Februarij, Magistro STEPHANO LAFONT Doctore Medico, Moderatore.

An fœdis virginum coloribus acceleranda συζυγία?



HOMINEM φύσει καὶ διαίτῃ ad importunam senectutem & vltimum vitæ finem pede plusquam celeri properantem & impetu raptum reuocat ac rediuiuum facit viri cum muliere ἐπιγαμία, quæ duorum parem nacta, sortitáve temperiem, aut contrariam vtrinq; δυσκρασίαν de sinu suo numerosam fundit prolem, rariorem, si temperatus cum intemperatâ congrediatur, nullam, si vterque colonus in simili δύσκρατος humore infausto vinculo, Genióve deuinctus concurrat, & offendatur.



VT autem mulier promptiùs viro tùm adolescit, tùm commoritur, ita generationi principium & finem imponit ocyus, siquidem multæ ante decimum quartum, paucę aut nullæ post quinquagesimum annum κυῆ δύναται: viri verò ante decimum sextum aut octauum raro, vltra septuagesimum sæpe, maximè si in tali pugna & duello (cum obesa quàm cum gracili iucundiore) iuuenem & sanguineam nanciscantur, in quo amplexu supereminet semper virile semen supra fœmineum, multò magis supra menstruum, sine quo mulier concipere sæpius non desinit.



IMO ex quantitate menstrui (secundæ coctionis benigni ac vtilis excrementi) mulieres euadunt infœcundæ, minùs salaces, cachecticæ, decolores, hydropicæ, quibus phlebotomia præ cæteris opportuna: à paucitate vel defectu non minora exsurgunt incommoda, vt perpetuus vteri tumultus, suffocatio (symptomata maritali potissimum irrigationi cedentia) vomitus, singultus, quem soluunt πταρμικά, dysphnæa, cordis παλμός, cephalæa, epilepsia, ἀρθρῖτις in iuuene μὴ ἀφροδίατος, paralysis, icterus in morbis acutis ante septimum diem quandoq; criticus, sæpius symptomaticus.



QVÆ postrema passio viros rarò, mulieres sæpe, virgines frequentissimè inuadit, quas ita defœdat ac polluit, vt roseum ipsarum colorem nonnunquam in viridem & porraceum commutet: ab inflammatione & scirrho ortus aliquando affectus, cuius signa existunt febris ardens & hyppochondriorum σκληρότης, aliâs ab obstructione meatus χοληδόχου, vt vrinæ croceæ & deiectiones albæ testantur, sæpissime ab infarctis, aut minus expeditis venulis cùm hepatis, tùm totius epigastrij, quam in virginibus ægritudinem magna ex parte parit pica, alienorúmve eduliorum crebrior vsus summæ impuritatis, cæcæq; ac occultæ febris parens & origo certissima.



AB inflammatione & scirrho icterus manet vt plurimùm incurabilis, ab obstructione contumax, solubilis tamen si tempestiuè & κατὰ λόγον remedia adhibeantur, non valida & generosa, sed benigna & ἐκκαθαρτικά; pulueres & decocta diuretica in declinatione non initio exhibita prosunt; febris superueniens quandoq; morbum soluit, quæ in puellis decoloribus suspicione & periculo plena existit ob latentem in vicinis vteri partibus φλογώδη διάθεσιν, quam, cum accendat & magis augeat impatiens καὶ ἄμετρος συνουσία, prius tradendæ sunt medico, quàm marito, qui præscripta victus ratione refrigerante & incidente, repetitâ per interualla ἐπαφαίρεσις, primum è cubito postea è malleolo, interposita per ἐπίκρασιν purgatione ex hiera, rheo, senna & agarico, assumptis è chalybe præparato tabellis, balneo sæpius vsurpato, longo hydromelitis aquosi potu, largo aquarum naturalium haustu, electuario lætificante Galeni nuptas reddit ad dimicationem alacriores καὶ εὐτοκωτέρας.

Ergo fœdis virginum coloribus differenda συζυγία.

Propugnabat Lutetiæ FRANCISCVS LESPICIER Suessionæus, anno Domini cIↄ. cI. cxII

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI,



M. Quirinus le Vignon.
M. Dionysius Guerin.
M. Iacobus Lætus.
M. Ioannes Riolant P. Reg.
M. Andreas le Gros.
M. Ioannes le Mercier.
M. Guillelmus Lescaillon.
M. Petrus Collier.
M. Robertus le Secq.

